

II

RAYMUNDUS TELLERIA

DE CAPITULO AN. 1764
NUCERIAE PAGANORUM (PAGANI) CELEBRATO
NECNON DE EIUSDEM CONSTITUTIONIBUS
ADNOTATIONES HISTORICAE

Praenotamen primum. — De Capitulo generali anni 1764 Nucerino ac de eiusdem Constitutionibus disserturus, colligam praesertim quae propter priora mea studia alphonsiana directe novi necnon documenta referam sive *Analectis*, sive *Actis Capitulorum et Codici Regularum* iam incorporata. Hinc facilius reddetur legentibus consultatio ac via aperta manebit ulterioribus archivorum investigationibus, cum id valetudinis meae incommoda permittant.

Praenotamen alterum. — Notum est historiae nostrae cultoribus non unam eamdemque semper usitatam fuisse loquendi et scribendi formulam cum agitur de Regulis et Constitutionibus, quippe quod ante annum 1748 vocabulum « Constitutiones » applicabatur etiam statutis, quibus duodecim Regulae primitiae proponebantur et in proxim reducebantur. Textus vero qui anno 1748 Sedi Apostolicae exhibitus fuit inscribebatur simpli citer: « Intento, e Regole per la Congregazione de' Sacerdoti Secolari sotto il titolo del SS.mo Salvatore » (A. VAT., *Concilio*, 1749, die 25 ianuarii, Pars I). Post approbationem vero pontificiam Capitulum generale anni 1749 reservavit vocabulum « Constitutiones » statutis in capitulo conficiendis: quod quidem forsitan erat in votis iam ab anno 1743 (*Anal.*, I, 139).

Praenotamen tertium. — Compertum est vicissitudines, acta et constitutiones Capituli anni 1764 non semel controversias suscitasse, et quidem postremis etiam annis, sive illius Capituli auctoritatem et adjuncta et efficientiam practicam pessum dando, sive illius cum praecedenti legislatione connexionem diminuendo (*Anal.*, XXII, 196). Speciosa quarumdam obiectionum radix in eo stat, quod nobis deest textus originalis actuum Capituli anni 1764: unde, tam in uno quam in alio sensu, desideratur basis apodictice definitiva donec fortasse in aliquo archivio notarili neapolitano aut sacerditali codex originalis resperiatur.

Praenotamen quartum. — His de causis, in hac succincta rerum tractatione, praemissis quibusdam notitiis de nostrarum Constitutionum evolutione (I), agemus principaliter de earundem Constitutionum fontibus (II), et adiungemus adnotaciones de earum « superventia » in domibus neapolitanis, in domibus in Statu pontificio sitis, in transalpinis, usque ad Capitulum generale a. 1855 (III-VI).

I. DE NOSTRARUM CONSTITUTIONUM EVOLUTIONE

Distinguere iuvat in nostrarum Constitutionum evolutione historica tres periodos praecipuas, videlicet: primam, ab Instituti fundatione a. 1732 usque ad Rvmi. Falcoiae mortem a. 1743; secundam, ab hoc eventu usque ad approbationem pontificiam a. 1749; tertiam, ab hac confirmatione canonica usque ad Capitulum generale anni 1764.

Prima periodus tempus undecim annorum complectitur (1732-1743), quo tum Scti. Alphonsi, tum Rvmi. Falcoiae conatus in hunc duplicum scopum praesertim incubuerunt:

a) Ut ex Regulis et Constitutionibus Sororis Caelestis praecepta se ligerent ad vitam asceticam aptiora, ad distributionem exercitiorum quotidianam necnon ad officia communitatis pertinentia, salvis monialium et missionariorum differentiis. Non semel Rvmus. Falcoia S. Alphonso promisit se pro viribus curaturum ut cum Regula monialium convenienter missionarii; ex alia vero parte Sctus. Alphonsus in memoriam Ven. Mariae Caelesti revocavit missionarios indigere aliis « statutis et constitutionibus » independentibus et complementariis (*Lett.*, I, p. 24).

b) Ut ex propria experientia et ex propriis cuiusque inclinationibus regimen Instituti supremum (nempe Rectorem Maiores ad vitam et eiusdem potestatem quasi monarchicam) eiusque lineamenta apostolica definirent.

Interea ex mutuo consensu ac experientia docti permultas decisiones particulares subscriperunt ac promulgarunt, sive observantiam regularem, sive Novitiatus regimen, sive fundationum activitatem apostolicam resipientes: quae omnes iis cognitae sunt, qui epistolas Rvmi. Falcoiae ac P. Sportelli nomine Falcoiae ad S. Alphonsum datas percurrerunt.

Nec contempnendas huiusmodi noticias putas, quia longe a Capitulo a. 1764 distent. Sed contra: in illis responsionibus falcoianis aut alphonsianis continentur quasi in nuce quaedam constitutiones posteriores aut saltem earundem lineae generales. Etenim inter deliberationes efficaciores Capituli a. 1743, mortuo Rvmo. Falcoia, eminet illa: « Che si commetta ad un Padre d'unire le Regole e Costituzioni lasciatesi disperse dal nostro Fundatore » (*Anal.*, I, p. 138).

Unum praeterea memorare iuvabit: Regulam nostram in hac prima periodo approbatam fuisse ab Episcopis, in quorum dioecesibus fundationes primaevae positae sunt, nempe Scalarum (Scala), Calatiae (Caiazzo), Salerni (Salerno), pro domo Iuranensi (Ciorani), et Nucerinae Pagano-rum (Nocera). Nullum exemplar praeter Nucerinum harum Regularum cum certitudine cognoscimus: probabiliter agebatur de quadam Regularum adumbratione; attamen Curia Salernitana affirmat die 12 septembribus a. 1735: « Propria statuta a Nobis revisa et approbata... adimplere pos-sitis » (A. GEN., *Historia*, XVIII, *Ciorani A 2*). Compendium igitur magis extensum esse debebat quam illud anno sequenti duci Montealegre pro regia approbatione oblatum aut saltem praeparatum (*Lett.*, I, 49-51). Ceterum ibi asseritur: « Per riuscire in tale idea (imitationis Iesu Christi et aposto-latus) hanno dodici Regole con le loro Costituzioni ». Unde assertum Pa-tris Villani, anno sequenti 1737 in Novitiatum cooptati, se primo tempore non cognovisse statuta in communitatibus, intelligendum est de statutis de-finitivis aut editis, non vero de provisoriis, utique formalibus.

Mortuo denique Rvmo. Falcoia, Sctus. Alphonsus maturationem iuri-dicam properavit elementorum, quae sive dispersa sive parum discussa remanserant in praecedenti periodo.

Secunda periodus ab a. 1743 tempus complectitur usque ad a. 1748, quo textus Regularum definitivus auctoritati Ecclesiae subicitur in ordine ad approbationem canonicam. Hac de causa Sctus. Alphonsus attente hoc quinquennio adlaboravit:

- a) Sive per se ipse, uti ex multis documentis constat a se connotatis et iterato examine revis;
- b) Sive per collaboratores individuales, quos inter in hac periodo praestant PP. Cafaro, Sportelli et Villani;
- c) Sive per collaborationem congregationum generalium, quae annis 1743, 1744 et 1747 habitae sunt, praeter eam a. 1746 convocatam et a S. Fundatore ante illius finem dimissam (*Lett.*, I, p. 118-122).

Fructus huius collaborationis et talium congregationum généralium dignoscitur cum inter se comparantur textus duodecim Regularum et toti-dem Constitutionum ad nos transmissi aut quorum existentiam suspicamur. Et quidem:

- a) *Textus Delicetanus* (Iliceto) Episcopo Bovinensi (Bovino) a. 1744 praesentatus, cuius exstant tria exemplaria in Archivo generalitio (Fondo: *Reg. et Cost.*, 1, 2 - MS S.A., IX, 3, 4), et quidem duo cum adnotationi-bus marginalibus Scti. Alphonsi. Publici iuris factus est in *Analectis* VII 276 ss.;
- b) *Textus Iuranensis* (Ciorani) a. 1747 in congregazione generali mensis octobris revisus, ubi Regula et Constitutio de Fide in codice desi-

derantur. (A. Gen., I, E, 38). Exstat aliud exemplar inter documenta congregationis generalis a. 1747 (A. Gen., I, E, 37), ubi dicitur post Regulam XII (f. 35): « Si sono lette queste Regole, e Costituzioni e accettate da PP. votanti. 20 ottobre 1747 ». Deinde (f. 37-73), praeter « Regolamento per le missioni », adiunguntur tredecim constitutiones, nempe: « Per l'ufficio divino, per l'elezione del Rettore Maggiore, del rettore locale, del ministro, del portinaro, per lo svegliatore e refettoriere, per il cuoco, per il dispensiere, del cantiniere, dei titoli dei soggetti, del vestire, circa la semplicità nel predicare ». (Cf. *Epist. Cafaro*, 22);

c) *Textus Caputsilarensis* (Caposele, Materdomini) a. 1747 exaratus et die 24 februarii a. 1748 ab archiepiscopo Compsano (Conza) approbatus, cuius extant duo apographa in nostro Archivo generalitio, aliud vero in nucerino, quartum denique, a praedicto archiepiscopo subsignatum, in archivio Matrisdomini. *Textus Caputsilarensis*, utpote alius perfectior, usurpatus fuit in versione Patris Pfab, in *Doc. Miscell.* inserta (pag. 11-55).

Praeter hos textus « typicos » nobis cognitos, sunt aut exstiterunt duo alii, quorum notitia valde profuisset ad genuinam Scti. Alphonsi mentem perscrutandam. Tales fuissent:

a) *Textus a regio Cappellano Maiore* an. 1747 approbatus cum Sctus. Fundator coram rege stetit talem approbationem supplicaturus. Cappellanus quidem Maior, videlicet Rvmus. Caelestinus Galiani, et Regulam alphonsianam probavit et ipsam fecit communem cum statutis Patris Mannarini et ex proprio penu alia statuta adiecit. Attamen Consilium Regium omnia infecta reliquit. *Textus* igitur supra dictus nobis communicasset mentem Scti. Fundatoris, qui ipsum praesentavit. Dolendum est quod in Archivo Status Neapolitano, ubi has ineditas notitias collegi, non servetur « Positio » completa a Scto. Alphonso oblata;

b) *Textus S. Sedi primitus praesentatus* et a Congregatione Concilii Curiae Neapolitanae, id est, Embo. Spinelli pro voto informativo remissus. Huiusmodi textus primigenius, ni fallor, ab eo differebat qui in Curia neapolitana retractatus fuit prius quam Romam iterum mitteretur. Pater namque Villani, dum Romae negotiationes approbationis gerebat, non semel questus est alludens « ad Regulas Neapoli confectas », sicut Roma scribit die 24 decembris a. 1748. Suspicor textum primigenium a Scto. Alphonso praesentatum in Curia Neapolitana remansisse aliumque correctum et minus aptum Romam missum fuisse a notario Francisco Cossali authenticatum, prout videre licet in Archivo Vaticano.

Tertia demum *periodus* ab a. 1749 ad a. 1764 se extendit. Non immorabimur in mutationibus, quas Romae introduxerunt revisores. Hi, inter alia, sumpserunt ex Regulis Piorum Operariorum praescriptiones de lectione Regularum quatuor cuiusvis anni temporibus.

Approbatione pontificia a. 1749 obtenta, omnes quidem in Instituto

gavisi sunt de tali eventu; nescio tamen utrum eodem gradu gavisi fuerint de suppressione duodecim Regularum, quae erant fulcrum observantiae qualem ab anno 1732 tenebant. Ideo ab a. 1749 usque ad 1764 contendit Sctus. Alphonsus ut textui Regulæ pontificiae adnectat Constitutiones, in quibus et textus explicetur ac authentice commentetur et denuo assumat præscriptiones, speciatim asceticas, quae a revisoribus romanis proscriptae fuerant.

In hunc scopum Sctus. Alphonsus adhibet:

a) *Capitulum generale* a. 1749 Iuranis celebrantium. In eo namque speciali cura reassumuntur « antiquae consuetudines » de virtute cuique mensi assignata, de SS. Instituti Patronis, de votorum renovatione aliisque similibus et introducitur iuxta votum Emm. Spinelli iusiurandum a superioribus emitendum pro tuenda vita communi. Praeterea non minus quam quindecim Constitutiones (praeter *Regulamentum* missionum iterum revi- sum) promulgantur ac decernitur (*Acta*, n. 74), unumquemque officiale penes se servaturum Constitutionem proprii officii;

b) *Collaborationem* aliorum Patrum, speciatim Patris Cafaro. Is enim a. 1752, duodecim mensibus ante suam mortem, laborat ex mandato Fundatoris in redigendis Constitutionibus Capitulo generali praeparatoriis, et quidem mente ad traditionem conversa: « Tratterò di stringere secondo la prima Regola e secondo le prime osservanze, purchè dalla Regola approvata non siasi stabilito l'opposto » (*Epist. Cafaro*, 55, 57);

c) *Capitulum generale* a. 1755 Nuceriae congregatum. Capitulum anticipatum est ad sexennium vi decreti Capituli a. 1749, ideoque eiusdem scopus dicendus forsan est disciplinaris potius quam legislativus. Utcumque res se habeat, nequimus de illius activitate legislativa iudicare quia acta Capituli nequaquam ad nos pervenerunt et, teste P. Landi (*Istoria*, II, ff. 183-189), Sctus. Alphonsus paucos dies capitulares apud se retinuit, ratus sufficere cum eisdem de domorum et de observantiae statu conferre atque nonnullis abusibus portam strictius pærecludere (*Lett.*, I, 316). Attamen ipse P. Landi addit lectas fuisse et approbatas « novas Constitutiones », quae in singulis capitibus seu paragraphis respondebant textui Regulæ Romæ approbato. De his Constitutionibus loquitur Sctus. Alphonsus in epistola 11 maii a. 1756 ad P. Tannoia, cui iniungit ut in Novitiatu transcribantur ad usum Communitatum: « Bisogna farle leggere per le case, e le case poco ne sanno, ed alcuno dice che non è obbligato a quelle, perchè non sono pubblicate » (*Lett.*, I, 336-337). Biennio autem postea Fundator ipse in epistola circulari 30 septembbris a. 1758 semel atque iterum reclamat ad Constitutiones vigentes (*Lett.*, I, 403-405);

d) *Collaborationem* Patris Tannoia in ordine ad Constitutiones futuri Capituli a. 1764. Quoniam de hac re non saepe inter nostros disceptatum est, seorsum quaestionem pertractabimus.

Sunt qui asserant hujusmodi Constitutiones opus esse Tannoianum: a) quia ipsem P. Tannoia meminit se Constitutionem magistri novitiorum exarasse; b) quia adiungit Tannoia: « Se la trascriva dalle Costituzioni che da me furono compilate in quel Capitolo » (KUNTZ, X, 386); c) quoniam non raro, ut videtur, nonnulli deridebant tales Constitutiones « tannoianas »: unde P. Buonapane, ad derisores compescendos, suggestisse dicitur Scto. Alphonso ut novas et definitivas Constitutiones efformaret. Cui suggerenti Fundator respondisse traditur: « Qui veteres spernunt, nec novas aestimarent: illae autem meo etiam nomine subsignatae sunt ».

Iam vero in hac quaestione, sicuti in aliis quam plurimis, controversia de accidente potius quam de substantia agitatur, nempe: quoniam sensu dicendus sit auctor qui ad opus suum perficiendum utitur praeiacenti materia. a) Constitutio seu statutum magistri novitiorum exsistebat quoad substantiam a tempore quo tale munus in Villa Liberi seu « degli Schiavi » ipse Sctus. Alphonsus exercuit; b) unusquisque « compilator », uti ex nomine desumitur, prae manibus habet documenta seu fontes unde abunde haurit ad suam redactionem novam peragendam: labor eiusdem potius litterarius dicendus et completivus quam creativus; et si quandoque novae creationis aspectum sumit, ab alio perficitur qui compilationi auctoritatem confert: in casu a Scto. Alphonso, qui Tannoiae commissionem compilationis dedecrat, et a Capitulo qui eamdem roborat et signat; c) derisores « compilatorum » exstiterunt similiter apud Iesuitas ob compilationem a P. Polanco factam et inveniri possunt apud Dominicanos, qui Constitutiones Scti. Augustini primitus acceperunt et deinde alias novas, at post mortem Scti. Dominici, confecerunt.

Hac igitur via clausam ducimus tertiam periodum evolutionis.

II. DE FONTIBUS CAPITULI ANNI 1764

Sicuti iam supra innuimus, Regula primitiva quae duodecim virtutibus innitebatur modificationem structuralem Romae suscepit, cum approbatione canonica ditata est. Vi igitur brevis Pontificii « Ad pastoralis dignitatis fastigium » Regula in tres partes dispertita mansit, quarum prima (post exordium de fine Instituti) missiones respiciebat, secunda obligationes congregatorum particulares, tertia denique regimen Instituti. Hanc igitur divisionem prae oculis habens, Capitulum anni 1764 proprias Constitutiones exaravit addens tamen quartam partem de inferioribus officialibus chori, quintam vero de fratrum inservientium officiis. Nemo qui absque passione documenta Capitulo anteriora et Capituli Constitutiones inter se comparaverit, negabit capitulares eamdem substantialem lineam retinuisse, quam ab anno 1732 secutus erat Sctus. Alphonsus in praeparanda et per-

ficienda nostra legislatione. Diximus « substantialem », nempe quoad scopum sive asceticum sive apostolicum et quoad media quae scopi consecutionem reddunt faciliorem. Quod si Capituli fontes vellemus ex integro promere, non nisi magno volumine id adipisci possemus, quo ex una fronte documenta primitiva, ex alia vero decisiones Capituli referremus. Hinc eas unice allegationes subiungimus, quae facili negotio a quocumque lectore inveniri possunt.

CONSTITUTIONES CAPITULI PRAELIMINARES. (Cf. *Codex Reg.*, p. 30 ss.).

Const. I, de fine Instituti. — Refert mentem, immo et verba tum Falcoia (*Analecta*, IX, 112-113) tum S. Alphonsi (*Anal.*, I, 43-48). De virtute uniuscuiusque mensis reproducit Capitulum anni 1749 (*Acta*, 16-17).

Const. II, de Sanctis Patronis. — Exprimit fontes anteriores (*Anal.*, IX, 110; *Acta Cap.*, 1749, p. 9, 16). Pariter in capitulo anni 1749 decimum erat de virtute colenda et de natione pro qua preces effundi deberent (*Acta*, p. 23).

Const. III, de annuo Patrono. — Idem in capitulo a. 1749 (*Acta*, p. 23).

Const. IV, de concordia mutua. — Haec capituli Constitutio spiritum primitivae Constitutionis continet, non vero litteram. Compleetur alia Constitutione de correctione fraterna (*Codex*, p. 378 ss.). Sunt qui ex hac Constitutione argumentum velint deducere contra « alphonsianismum » Capituli anni 1764, utpote quod — iuxta eorum sententiam — inter se nimis differunt normae Constitutionis et *Theologiae Moralis* alphonsianaee de correctione fraterna. Quod quidem assertum videtur exaggeratum.

PARS PRIMA — DE MISSIONIBUS ALIISQUE EXERCITIIS. (*Codex. Reg.*, p. 36).

Capitulares anni 1764 non minus quam novem Constitutiones (et quidem quarta tredecim subdivisiones complectitur) reservarunt iis omnibus muneribus ac functionibus delineandis, quae missiones et missionarios respi- ciunt; iam vero, si huiusmodi Constitutiones cum directoriis sive « regolamenti » prioribus conferantur, animadvertisimus Constitutiones nihil aliud fecisse nisi modo organico colligere et proponere praxim evangelizandi, quae, Alphonso magistro, ab Institutū cunabulis invaluerat. Conferantur nempe: *Analecta*, I, 172 ss., 206 ss., 255 ss.; VIII, 242 ss. - *Acta Cap.*, 18 (regolamento delle missioni), 22 (luoghi rurali e più abbandonati). - *Lett. di S. A.*, III, 536. - *Praeterea. Doc. Misc.*, 53-55, 73: ad missiones post 30 aetatis annum. - *Anal.*, I, 134: concio de B.M.V. et vita devota in missionibus. - *Acta Cap.* 1749, p. 20: sumptus missionum. - *Doc. Misc.*, 78: expensae missionum. - *Ibid.*, 55, 74, 76: renovationes missionum. -

Denique recolatur charta magna missionum alphonsianarum: *Breve Istruzione degli esercizi di missione*, Napoli, 1760.

CONSTITUTIO DE MUNERIBUS AB INSTITUTO ALIENIS. (*Codex Reg.*, p. 90-93).

- a) *Num. 154* (p. 91). Permittuntur a capitularibus exercitia in favorem Sororum Scalensium. - Idipsum quoad substantiam permiserant Capitula 1743-1747 (*Anal.*, I, 134-135; VIII, 122).
- b) *Num. 152, 270*. Non litigare coram tribunalibus. - Idem statuerat Cap. 1743-1747 (*Anal.*, I, 131-132).
- N. 151. - Non intervenire matrimoniis. - Idem prius decretum erat (*Anal.*, VIII, 284). - Non esse rectores seminariorum, nec examinatores synodales. Idem inveniri potest in prioribus documentis (*Anal.*, VIII, 123. - *Acta Cap.*, 1749, p. 9, 19. - *Doc. Misc.*, 54, 62, 74).
- c) *Num. 150*. - Non comparere in processionibus. - Eadem prohibitio prius vigebat (*Anal.*, IX, 109 - *Doc. Misc.*, 54).
- d) *Num. 150, 156*. - Non praedicare conciones quadragesimales nec orationes panegyricas. - Notum est huiusmodi prohibitiones Scto. Alfonso caras exstisset ante Capitulum anni 1764.

DE EXERCITIIS IN NOSTRIS ECCLESIIS. (*Codex Reg.*, p. 93 ss.).

- a) *Vita devota*, quam Capitulum anni 1764 proponit, iam inde a fundatione Scalensi appareat discussa et quoad substantiam ordinata a S. Alfonso et Rvmo. Falcoia (*Anal.*, XI, 120, 238). Ad melius sistema reducitur a Capitulis aa. 1743-1747 (*Anal.*, I, 134). - Vigebat pariter praedicatione mariana die sabbati (*Anal.*, I, 130; *Doc. Misc.*, 54), et praedicatio diebus dominicis et festivis (*Anal.*, IX, 107).
- b) *Protestatio Bonae Mortis*, quam Capitulum anni 1764 suggerit, erat exercitium valde notum in ecclesiis neapolitanis et apparebat a Scto. Alfonso commendatum iam inde a primis editionibus operis « *Visite al SS.mo* », ubi inserit formulam adaequatam talis exercitii.
- c) *Functiones cum missa solemni*, novenae, triduum bacchanalium aliaque huiusmodi a Capitulo anni 1764 statuta aut permissa non exsulant a traditionibus, quas in omnibus fere fundationibus Sctus. Fundator instauraverat.
- d) *Associationes* similiter, quas Capitulum anni 1764 commendat, creatae erant a Scto. Fundatore Scalae, Villa « degli Schiavi », Iuranis, Nuceriae, Capite Silari (Caposele), a sociis frequentabantur et absque dubio possidebant statuta propria, etsi ad nostram notitiam non pervenerunt. Unde Capitulum anni 1764 nihil aliud fecit quam consecrare usus ac praxim vigentem.

*CONSTITUTIONES DE EXERCITIIS SPIRITALIBUS IN DOMIBUS
NOSTRIS (Codex Reg., p. 100-106).*

Capitulares anni 1764 nobis transmittunt quasi directorium externum exercitiorum, cum distributione horarum ac cum admonitionibus opportunitatis tum pro praedicatore et confessoribus, tum pro membris communitatis atque pro participantibus in secessu. Cum certitudine asserere possumus capitulares non fuisse inventores. Triginta fere anni effluxerant ex quo Sctus. Fundator in oppido Villae « degli Schiavi » primam exercitiorum domum a fundamentis erexit. Hoc longo temporis spatio usus practici ac normae scriptae (quamvis directoria, si quae fuerint, nobis ignota manent) absque dubio exstiterunt, ex quibus coaluerunt decisiones capitulares tamquam totius institutionis coronis desiderata. Vix enim aliud antiquius multorum cordi erat quam exercitia tradere: adeo ut in Sicilia P. Blasucci missionum methodum immutaret in exercitiorum beneficium hancque immutationem Scto. Fundatori proponeret ab universa Congregatione amplectendam. (Cf. BERRUTI, *Methodo degli esercizi di missione*, Napoli, 1856, p. 150; TELLERÍA, S. Alfonso, II, 461-464).

PARS SECUNDA — DE OBLIGATIONIBUS CONGREGATORUM (Codex Reg., p. 107 ss.).

1. CONST., *De vita communi* (Cod., p. 107). — Spiritus immo et littera huius Constitutionis capitulo anni 1764 desumuntur a primaevis statutis severioribus quidem in hac materia (*Doc. Misc.*, 23-26, 63-65). Iusurandum de vita communi a card. Spinelli propositum (*Doc. Misc.*, 77) a Capitulo anni 1749 praeceptum est (*Acta*. 12-13).

2. CONST., *De victu* (Cod., p. 113). — Pariter in Capitulo a. 1749 recitata et approbata est constitutio, *antea facta*, de cibis (*Acta*, p. 21). Cf. *Cod. n. 228*; *Acta*, p. 22, 70; Statutum a. 1743-1747 (*Anal.*, I, 135).

3. CONST., *De vestitu* (Cod., p. 117). — Omnes fere particularitates vestitum respicientes et a capitulo anni 1764 receptae, inveniri possunt, cum levibus aut saltem non essentialibus modificationibus, in documentis prioribus. Ita, v.gr.: Capitulum an. 1747 (*Anal.*, I, 130) sottana choristarum unius digiti latitudine obtegat calceos; laicorum, palmum distet (a terra), *Acta Cap.* 1749, p. 18. - *Anal.*, VIII, 241-242; *Anal.*, IX, 108-109. Ceterum textus Regulae Romae a S. Sede approbatus reproducit, quasi ad litteram, relate ad *cibum et vestitum*, statuta Piorum Operariorum (*Cost. e Reg. dei Pii Operari*, Napoli, 1735, p. 74-77).

5. CONST., *De cubiculis* (Cod., p. 120). — Capitulares anni 1764 referunt priora statuta, etsi non citata. *Doc. Misc.*, 24; *Anal.*, VII, 47-48. - *Acta Cap.* 1749, p. 14, 16.

6. CONST., *De Patrimonio* (p. 123). — Idem ac Capitulum anni 1764 praeceperant Capitula aa. 1743-1747 (*Anal.*, I, 132). Cf. etiam: *Anal.*, IX, 228; *Dom. Misc.*, 25-26.

7. CONST., *De dignitatibus recusandis* (*Cod.*, p. 126). — Sicuti capitulares anni 1764, etiam ii aa. 1743-1747 reiecerant hanc ambitionem saeculo XVIII ecclesiasticis et religiosis communem et ope regiorum ministrorum saepe manifestatam (*Anal.*, I, 133; IX, 228).

8. CONST., *De domuum redditibus* (*Cod. Reg.*, p. 130). — Capitulares anni 1764 plura hic congesserunt, de quibus nihil aliud asserere possumus nisi quod, data materia ordinis prorsus practici, absque dubio praeeexistebant normae necessariae. Sic v.gr. de numero familiae in Capitulis 1743-1747 (*Anal.*, I, 134) et in Regula primitiva (*Doc. Misc.*, 52, 73). Item: *Acta Cap.*, 1749, p. 13. - Liber de acceptis et expensis (*Acta Cap.*, 1749, p. 21).

9. CONST., *De Modestia* (*Cod.*, p. 136). — Capitulares anni 1764 referunt spiritum primitivae constitutionis de cordis et corporis puritate (*Anal.*, VII, 50-52. - *Doc. Misc.*, 26-29). Prohibitio, ex gratia, parvulos manu permulcendi vigebat in primitiva regula de charitate (*Doc. Misc.*, p. 22). Praeterea in Capitulo anni 1749, in quo expressa constitutio circa modestiam, signanter alluditur ad huiusmodi blanditias erga pueros vetitas.

10. CONST., *De Obedientia Ordinariis praestanda* (*Cod.*, p. 137). — Capitulares anni 1764 reddunt normam generalem prius existentem (*Doc. Misc.*, 52, 59, 77-78).

11. CONST., *De Obedientia regulis praestanda* (*Cod.*, 141). — Iam inde a Capitulo 1743 declaratum fuerat Regulas sub peccato non obligare (*Anal.*, I, 139).

12. CONST., *De Obedientia superioribus exhibenda* (*Cod.*, p. 145). — Quae capitulares de obedientia superioribus debita statuerunt, possunt, quoad spiritum et interdum quoad litteram, in aliis prioribus documentis praegredi, v.gr. *Doc. Misc.*, 31-32; *Anal.*, VII, 115-116; IX, 45. - Ceterum Sctus. Alphonsus in opella « Il genuino redentorista » nihil aliud docuerat. - Piorum etiam Operariorum Reg. et Const. fere idem sonant, ex gr.: « Siano i nostri di tal maniera subordinati a' loro superiori, che, se possibile fosse, non abbiano nè *nolle*, nè *velle*; ma sempre vivano indifferenti » (l. cit., p. 113). - De obedientia Rectori Maiori et de signis venerationis eidem exhibendis, cf. *Anal.*, IX, 176.

13. CONST., *De litteris scribendis* (*Cod.*, p. 152). — Prius quam in Capitulo a. 1764, in aliis pariter Capitulis et documentis leges super epistolis scribendis latae erant in eodem fere sensu ac in Cap. 1764.

14. CONST., *De Voto perseverantiae* (*Cod.*, 158). - Cf. *Doc. Misc.*, 51, 73. — Notum est ab initio Instituti attentionem Fundatoris conversam fuisse erga modos reddendi securiorem perseverantiam congregatorum.

15. CONST., *De renovatione votorum* (*Cod.*, p. 160). — Publicam bis singulis annis faciendam renovationem votorum, quam capitulares probabant, originem trahit a Constitutionibus Sororum Scalensium. Seu melius:

Sorores faciebant renovationem singulis mensibus die 25 et solemnius die Nativitatis. - Pro nobis praxim vota renovandi die SSmi. Redemptoris et Natalis Domini sancivit Capitulum anni 1749 (*Acta*, p. 23). Cf. etiam: *Anal.*, IX, 48: ubi perspicitur dependentia nostrae Regulae ab illa, quam Sorores servabant: ibidem loquitur de formula renovationis.

16. CONST., *De frequentatione sacramentorum* (*Cod.*, 161 ss.). — Animadvertere iuvat multas huiusmodi praescriptiones de vita sacerdotum, de confessionibus et communionibus coincidere cum similibus Piorum Operariorum (*Const. e Reg.*, l. cit., p. 54 ss.). - De nostra actione gratiarum Capitulum edixit a. 1749 unam horam debere impendi celebrationi et gratiarum actioni (*Acta*, 14). - Similiter prohibitum fuerat confessiones audire tempore gratiarum actionis (*Anal.*, IX, 109; *Anal.*, VIII, 12). - De confessoriis domus normas fixerant Capitulum a. 1747 (*Anal.*, I, 131) et Capitulum a. 1749 (*Acta*, 21).

17. CONST., *De obligatione ad chorum* (*Cod.*, p. 166). — Ritus quos capitulares a. 1764 describunt pro officio divino, praeter quam quod sunt, communes plus minusve, omnibus religiosis officium publicum recitantiibus, conferri debent cum directorio Sororum Scalensium. - Quasdam normas pro nobis instituerat Falcoia (*Anal.*, IX, 107). Influxum directorii Sororum apparet in primis « regolamentis » (*Anal.*, VIII, 373). Constitutio de horis canonicas approbata est a Capitulo a. 1749 (*Acta*, p. 19).

18. CONST., *De exercitiis pietatis cuiusvis diei* (*Cod.*, p. 175 ss.). — Capitulares a. 1764 nihil aliud faciunt quam consecrare exercitia eorumque modalitates iuxta directoria et traditiones anteriores. Cf. *Anal.*, II, 183-194: direttorio primitivo; IV, 97 ss., 130 ss.: direttorio delle Suore; V, 42: come le monache; V, 177: orario primitivo simile a quello delle monache; V, 230 ss.: lo stesso; VII, 228: applicazione delle opere. - Item: *Doc. Misc.*, 44-45; *Anal.*, VII, 227: punto di meditazione. Item: *Doc. Misc.*, 43. - *Anal.*, IX, 45-46, 229-230: benedizione del superiore; 103-105: disciplina; 229-232: altri esercizi. Similiter acta priorum Capitulorum, v.gr. 1749, p. 11, 18: bacio dei piedi, ore di sonno. Disciplina in Direttorio primitivo, *Anal.*, II, 190.

19. CONST., *De humilitatis exercitiis* (*Cod.*, p. 194). — Actus humilitatis a capitularibus propositi vigebant, fere omnes, ab ortu Instituti et in primis eiusdem decenniis. Cf. *Anal.*, VII, 120; IX, 46 (erga seniores reverentia), 107. - *Doc. Misc.*, 35, 68. - *Acta Cap.* 1749, p. 11: osculum pedum. - De praecedentia, *Doc. Misc.*, 35.

20. CONST., *De titulis congregatorum* (*Cod.*, p. 197). - Cf. *Anal.*, VIII, 240-241; IX, 46. *Acta Cap.* 1749, p. 15: tituli in litteris scribendis.

21. CONST., *De silentio et recollectione* (*Cod.*, p. 199 ss.). — Huiusmodi orientationes et regulae asceticae a capitularibus a. 1764 constitutae,

inveniuntur in primaevis documentis. Cf. *Anal.*, VII, 184-187. - *Doc. Misc.*, 40-41, 44. - Scrutari etiam oportet Regulam Piorum Operariorum (l. cit., p. 99). Ceterum de silentio post recreationem vespertinam statuit Capitulum a. 1749 initium habere post benedictionem superioris (*Acta*, 22) et dispensationem modo speciali obtainendam esse (*Ibid.*, p. 23).

23. CONST., *De horis et die recreationis* (*Cod.*, p. 206). — Capitulares a. 1764 nobis transmittunt usus et traditiones antiquiores. Constitutiones Sororum Scalensium iisdem ideis abundant cum de recreatione communi loquuntur. - Dies recreationis feriae quintae annexus fuerat a Capitulo a. 1749 (*Acta*, p. 11) simul cum lectione Evangelii Scti. Ioannis. - De colloquiis in refectorio, cf. *Anal.*, II, 186; V, 238-239; IX, 105-106; 107. - De diebus recreationis, cf. *Anal.*, II, 186; V, 239-241. - De Scto. Joanne « ad portam latinam », cf. *Anal.*, VII, 181; *Doc. Misc.*, 38. - De Scto. Michaële, cf. *Anal.*, 57; IX, 103, 107, 229; *Acta Cap.* 1749, p. 8. Primis temporibus disciplina non anticipabatur, sed supprimebatur in quattuor octavis solemnioribus (*Anal.*, I, 131).

22. CONST., *De mortificatione externa* (*Cod.*, p. 205). — Haec constitutio a. 1764 refert substantiam primitivae Constitutionis (*Anal.*, VII, 178-182 - *Doc. Misc.*, 37-39). Quae antiquitus huic constitutioni primitivae de disciplina adnectebantur, alibi inter exercitia vespertina a capitularibus translata sunt (*Cod.*, p. 183).

24. CONST., *De conventibus domesticis* (*Cod.*, p. 212). — Textus Regulae a Benedicto XIV approbatus debet conferri cum hoc textu Regulam Piorum Operariorum: « Ne' Quattro Tempi dell'anno ogni Rettore convocherà tutti i suoi sudditi, ed in comune farà leggere queste Costituzioni; e paternamente avviserà quando sarà necessario per l'intiera osservanza di esse: se bene dovrà ancora ciascuno averle appresso di sè, e da se stesso allo spesso leggerle, e farsele familiari » (l. cit., p. 77-78). - Sores Scalenses Quattuor Temporibus legebant Constitutiones in refectorio. - De libro expensorum a Patre oeconomо exhibendo ante Quattuor Tempora Rogationum. Cf. *Anal.*, VIII, 370. - De conventibus hebdomadariis in communitatibus. Cf. *Anal.*, II, 190 ss.; IX, 107-108. - *Acta Cap.* 1749, p. 15-16.

25. CONST., *De capitulo culparum die sabbati* (*Cod.*, p. 214). — Capitulares nihil peregerunt quam sacrare praxim capituli culparum, inde ab initio existentis, etsi tunc temporis tale capitulum feria quinta fiebat (*Anal.*, II, 191) simul cum Evangelii Scti. Ioannis lectione et cum pedum osculo atque, demum, in hebdomade sancta cum pedum lotione. Cf. etiam *Anal.*, IX, 230: capitulum feria V.

26. CONST., *De capitulo culparum feria secunda* (*Cod.*, p. 216). — Hoc capitulum iam inde ab anno 1749 zelator provocabat feria secunda hebdomadis (*Acta Cap.*, 22).

NOTA — Ad speciale CONSTITUTIONEM de secessu menstruo et annuo (*Cod.*, p. 190) notabimus iam in primitivo Directorio hunc duplicem secessum imponi congregatis, et quidem per decem dies plenos (*dieci giorni compiti*). Cfr. *Anal.*, II, 194.

27. CONST., *De Academia missionum* (*Cod.*, p. 217), *de casu ascetico et dogmatico atque rubricarum* (*Ibid.*, p. 218 ss.). — Capitulares a. 1764 invenerunt usus et proxim harum academiarum ab initio Instituti. Cf. *Anal.*, II, 193; IX, 107. - Animadvertisendum est numero 477 (*Cod.*, p. 220) capitulares designari compendium P. Merati ut textum rubricarum. Prius namque, id est, in numero 379, dixerant: « Niente appartandosi da quanto s'è stabilito... nella nostra operetta de' riti a questo fine composta »: ex quibus verbis nonnulli concludunt hanc constitutionem fuisse ab ipso Scto. Fundatore exaratum.

PARS TERTIA — DE GUBERNATIONE

1. CONSTITUTIONES *de Rectore Maiore* (*Cod.*, p. 221 ss.). — Capitulares a. 1764 maxima cura ea omnia compleverunt, quae Rectorem Maiorem edocere poterant eiusque gubernandi regimen efficacius reddere. Attamen iam a tempore Rvmi. Falcoiae pari cura tum Sctus. Fundator, tum eiusdem moderator de hac materia plurimas normas communi consilio stabilierunt. Cf. *Anal.*, VIII, 116 ss.; 179 ss.; IX, 172 ss. - *Doc. Misc.*, II, 47.

2. CONST. *de novis fundationibus* (*Cod.*, p. 227). — Essentialia requisita, quae ad fundationes novas exigunt capitulares a. 1764, praeelegantur etiam a legibus anterioribus. Cf. *Anal.*, I, 133; VIII, 118-119; 178; IX, 103, 173-174. - *Doc. Misc.*, 49, 71. - *Acta Cap.* 1749, p. 16.

3. CONST. *de qualitatibus in candidatis admittendis* (*Cod.*, p. 228). — A condita Congregatione tum Falcoiae et Sctus. Fundator, tum Capitula satergerunt qualitates recensere, quibus candidatos ornatos esse oportebat. Cf. *Anal.*, I, 138-139; IX, 175-176; 227-228. - *Doc. Misc.*, 50-51. - Capitulum a. 1747 excludit eremitas aut ex-religiosos (*Anal.*, I, 130) ac pro Fratribus laicis non exigit votum consultorum (*Ibid.*). - Vide *Anal.*, IX, 175. - Capitulum a. 1749 reicit generatim etiam ex-novitios (*Acta*, II). - Pro dimissione subditorum, cf. *Doc. Misc.*, 50-51.

Caeteras Constitutiones Rectorem Maiorem respicientes novas dicerem, saltem eo sensu quod non pervenerunt ad nos documenta, si quae erant, ad dispositionem capitularium aut compilatoris, qui eisdem praeparavit Constitutiones.

4. CONST. *de Consultoribus Generalibus* (*Cod.*, p. 252 ss.). — Eodem fere modo ac in Nota praecedenti dicendum est de Consultoribus, quorum

munus, auctoritas, domicilia minutatim statuuntur. In priore legislatione, iam inde a Capitulo a. 1743-1747, decisa erant nonnulla puncta. Cf. *Anal.*, I, 129, 130, 138. - *Doc. Misc.*, 47-48, 76. - De Vicario Generali, cf. *Doc. Misc.*, 71-72. - De exequiis Rectoris Maioris, vide *Acta Cap.* 1749, p. 14.

5. CONST. *de Capitulo Generali* (*Cod.*, p. 269 ss.). — Modus procedendi in votationibus Capituli generalis definitus erat, quoad electionem Rectoris Maioris, tempore primitivo. Cf. *Anal.*, I, 88, 136; VI, 235-247; VIII, 175 ss., 179-181. - Alia fuerunt decisa in Capitulo a. 1749 (*Acta*, 9), in quo etiam narratur forma electionis Scti. Alphonsi et suorum consultorum atque decretum fuit in domo, ubi habitat Rector Maior, non quidem alium constituendum esse Rectorem localem, sed Vice-Rectorem. - Capitulum a. 1747 tollit Rectori Maiori facultatem mutandi per se consultorem generalem (*Anal.*, I, 129). - De Capitulo singulis novem annis (*Doc. Misc.*, 72) vel nondum elapso novennio (*Acta*, 9) aut de decisionibus in Capitulo « per maggioranza de' voti » (*Anal.*, I, 134) aut de depositione Rectoris Maioris (*Acta*, 1749, p. 9) praeexsistebant normae opportunae.

6. CONST. *de Sigillo Congregationis* (*Cod.*, p. 293). — De hac quaestione, cf. *Anal.*, 239-240.

7. CONST. *de Admonitore Rectoris Maioris* (*Cod.*, p. 295). — Primitiva Constitutio concordat cum linea generali Constitutionis a. 1764. Cf. *Anal.*, IX, 224.

8. CONST. *de Visitatoribus* (*Cod.*, p. 298). — Non videtur exstisset de hac materia documentatio nimia; attamen plus quam sufficiens reperitur. Cf. *Anal.*, IX, 48-49. - Notum est Rectorem Maiores usum fuisse etiam inspectoribus secretis in communitatibus (*Anal.*, IX, 176; *Doc. Misc.*, 48; *Acta Cap.* 1749, p. 13).

9. CONST. *de Rectore locali* (*Cod.*, p. 310 ss.). — Capitulares a. 1764, seu pro ipsis Constitutionum compilator, verum tractatum gubernii localis absolverunt, cuius tamen notiones quaedam et praecpta fundamentalia non deerant. Cf. *Anal.*, VIII, 307 ss.: adumbratio sui muneric ad imitationem superiorissae monialium Scalensium; *Ibid.*, p. 122: de eiusdem auctoritate; IX, p. 225-226: constitutio de Rectore locali. - *Doc. Misc.*, 53, 73: colloquium cum subditis de rebus conscientiae. - *Anal.*, VIII, 122; IX, 108; *Doc. Misc.*, 53; *Acta Cap.* 1749, p. 20: cura erga Studentes. - *Anal.*, IX, 49: punitiones et « carcer ». - *Anal.*, I, 136-137; IX, 109; *Acta Cap.* 1749, p. 13: de expensis sive per se faciendis sive cum consultoribus.

10. CONST. *de Ministro eligendo in qualibet domo* (*Cod.*, p. 335). — Minister domus adsimilatur Vicariae inter Sorores Scalenses. - Super ipsius munere ante Capitulum a. 1764. Cf. *Anal.*, VIII, 122; 176-177. - *Doc. Misc.*, 52-53; *Acta Cap.* 1749, p. 20, 21.

11. CONST. *de candidatis admittendis* (*Cod.*, p. 338 ss.). — Capitulares a. 1764 seu pro ipsis compilator prae oculis habuerunt quamplurima

documenta super candidatis ac super novitiatu prius exarata. Cf. praecipua: *Anal.*, I, 129; VIII, 120-121; 177; IX, 227-228: de candidatis ad novitiatum. - *Anal.*, IX, 107-108; 227-228: idea Novitiatus. - Ceterum iam in Capitulo a. 1749 scribitur: « Inspecta et approbata fuit Constitutio de Novitiatu et Novitiis » (p. 19). Ergo qui asserunt Patrem Tannoia conflasse Constitutionem novitiatus a. 1764, praenoscerre deberent textum anni 1749: ipsum fortasse P. Tannoia complevit constitutionibus II et III: de gubernatione novitiatus et de agendi ratione cum tironibus (*Cod.*, p. 346, 351).

12. CONST. *de studentibus* (*Cod.*, p. 362 ss.). — Absque dubio ante Capitulum a. 1764 vigebant statuta specialia pro domo studiorum ac pro ipsam incolentibus. Attamen nonnisi normas minime inter se connexas inveni. Cf. *Anal.*, I, 130; VIII, 122, 176. - *Acta Cap.* 1749, p. 17, 20.

13. CONST. *de Regularum obligatione* (*Cod.*, 373). — Principia et conclusiones super obligatione Regularum absque peccato inveniuntur in primitivis documentis. Cf. *Anal.*, I, 139; IX, 44-45. - Ceterum etiam in Regula monialium Scalensium diserte de hac materia quaestio evolvitur. - Distinctio vero culparum ex earum gravitate disciplinarum, etsi communis aliis Institutis religiosis, non comperitur in documentis primitivis.

14. CONST. *de correctione fraterna* (*Cod.*, p. 378). — Hanc correctiōnem fraternalm textus primitivi adnectunt constitutioni de caritate fraterna. Cf. *Anal.*, VI, 337-343; IX, 109. - *Doc. Misc.*, 19-20. - Evidens autem est capitulares a. 1764 ampliorem tractationem confecisse, sicuti subsequenter: de fama congregatorum et de secreto.

15. CONST. *de funeribus* (*Cod.*, p. 389). — Tempore antiquo offerebantur etiam duo funera mense novembri pro defunctis domus et Congregationis (*Anal.*, I, 136); fratres vero laici rosarium recitabant. - Vide etiam Capitulum a. 1749 (*Acta*, p. 13), ubi etiam singulis congregatis missa conceditur pro suis familiaribus applicanda.

16. CONST. *de structura domuum* (*Cod.*, p. 392). — De hac materia edita erant quam plurima statuta, in quibus sive domuum structura, sive earumdem distributio et contignationes pro occasione describuntur. Cf. *Anal.*, VIII, 118, 178; IX, 103, 104, 106. - *Doc. Misc.*, 49-50. - *Acta Cap.* 1749, p. 14-15; 16: stanza con fuoco e cappella degli esercizi.

PARS QUARTA — CONSTITUTIONES DE OFFICIALIBUS INFERIORIBUS (*Cod.*, 398).

Animadvertisendum est Constitutiones huius partis, utpote respondentes bono communitatum regimini, speculum esse consuetudinum de facto existentium. A quibusdam consuetudinibus non dicere alienas esse traditiones et constitutiones Sororum Scalensium in iis officiis, quae similitudinem cum nostris referunt. Ideo praelegendae sunt Monialium Constitutiones.

a) *De Const. Magistri Noviticrum* iam diximus supra. Fortasse haec, quae hic (p. 400) exhibetur, a Patre Tannoia exarata fuit, ut ipse asserit. - Caeterum vide: *Anal.*, I, 138; VIII, 313-314; *Anal.*, IX, 47-48. - Noscere nobis placuisse, quisnam socio magistri consilium suasit edocendi candidatos meditationem « iuxta methodum Scii. Ignatii » (*Cod.*, n. 1097).

b) *Const. de secretario domus* (*Cod.*, p. 413). Cf. *Anal.*, VIII, 312.

c) *Const. de Ministro* (*Cod.*, p. 414). - *Anal.*, VIII, 122, 176, 311. - Relegatur *Const. de Vicaria* apud moniales, sicut etiam pro admonitore locali et pro zelatore. - Porro iam a. 1740 Pater Sportelli rogarat Rvmum. Falcoia ut Constitutionem Ministri atque Oeconomi scriberet (*Epist. Sportelli*, p. 51). - De consultoribus localibus ac de zelatore quaedam statuerat Capitulum a. 1749 (*Acta*, p. 14, 221-22). Item de zelatore. Cf. *Anal.*, VIII, 314.

d) *De studentibus* diximus supra. - *Constitutio de eorum Praefecto* approbata fuit a Capitulo a. 1749 (*Acta*, p. 21, 20). - Pariter de Praefecto valetudinarii et de Nosocomo (*Ibid.*, 21).

De secundo novitiatu et de eiusdem Praefecto nihil invenimus.

PARS QUINTA — DE FRATRIBUS SERVIENTIBUS (*Cod.*, 455-482)

Constitutiones de Fratribus servientibus conferendae sunt cum similibus monialium Scalensium. Non semel de eisdem atque de ipsorum praecipuis officiis verba faciunt documenta primitiva. Cf. *Anal.*, VIII, 370 ss.; IX, 106, 109 (vestis). - Legatur speciatim primitiva adumbratio constitutionis Fratrum (*Anal.*, IX, 46-47) ubi reicitur statutum monialium vetans conversas legendi scientiam adquirere. Ceterum etiam Pii Operarii prohibebant quominus Fratres laici legere docerentur. - Ad haec: Capitulum a. 1749 condidit vel approbavit septem Constitutiones tot officiis Fratrum respondentes (*Acta*, p. 20, 21) atque praescripsit ut officiales suam quisque Constitutionem apud se haberent (p. 22). - Nonnulla pracepta particularia, puta de cibis aut de sacristia, nobis aliunde nota sunt (*Anal.*, I, 135; IX, 108).

COROLLARIA, quae ex hac fontium Capituli anni 1764 indicatione trahi possunt, erunt sequentia:

Primum — Capitulares seu pro ipsis compilator dici nequeunt inventores absoluti, sed generatim praeciacentem materiam evolverunt, vestigiis insistentes praecedentium decisionum, sive Capitulorum sive traditionis, et praxim perpendentes annorum decursu inductam. Cum autem plures textus anteriores, v.gr. Capituli anni 1755 ac constitutionum a. 1749 nobis deficiant, aegre in singulis casibus definire poterimus utrum capitulares a. 1764 reproduixerint litteram an solum spiritum.

Secundum — Quoad votationem Constitutionum in Capitulo a. 1764, inspecta codicis mole ingente, singulis paragraphis suffragia capitularium

apponere non videbatur necessaria, etsi id fuisse sensui critico hodierno magis consentaneum. Iis qui volunt capitulares statuta dumtaxat generalia et « provisiones » (*Acta*, p. 487-491) votis expressis approbasse adnotabimus talia statuta indeolem provisoriam potius induisse; in ipsis tamen capitulares distinguunt (p. 489, n. 1390) inter Capituli leges et provisiones temporaneas aut locales; inde Capituli legibus vim obligandi recognoscunt.

Tertium — Ex dubiis historicis circa votationes singulas ac circa nomen Scti. Alphonsi actis appositorum nemo contra venerationem his constitutionibus debitam arguet, si in mentem alia similia facta revocaverit: ex.g.r. Constitutiones Ordinis Praedicatorum non a Scto. Dominico, sed ab eius successoribus concinnatas fuisse (Cf. JACQUIN, *Le Frère Précheur*, Paris, 1911, p. 49); immo, Constitutiones Societatis Iesu minime a Scto. Ignatio, at a P. Laynez post Fundatoris mortem promulgationem definitivam accepisse. (Cf. BARBERA, *Ratio Studiorum*, Padova, p. 9).

III. DE CONSTITUTIONIBUS AN. 1764 USQUE AD S. ALPHONSI MORTEM

1. Promulgatio Constitutionum anni 1764 ac voluntas capitularium ideo patent, quod omnes et singulos congregatos obligatos voluerunt ad eas observandas a die prima ianuarii a. 1765: quem in finem rectoribus locibus officium imposuerunt curandi ut tempestive apographa Constitutionum ac Decretorum pro singulis domibus conficerentur. (*Cod.*, p. 490, n. 1396).

2. De exsecutione praecepti capitularium nos docent quaedam indicationes. Tempore verno anni 1765 P. Mazzini in visitatione Iuranensi (Ciorani), P. Villani in epistola circulari ad observantiam regularem hortantur in spiritu harum Constitutionum (« osservanza de' voti, regole, costituzioni... »). KUNTZ, VII, 259-262. Cf. etiam: *Doc. Misc.*, 162-165, pro anno 1770); at neuter expresse nominat Capitulum anni 1764. Hoc tamen facit P. Blasucci, qui ex Agrigento signanter declarat, die 10 septembbris a. 1765: « Ora si leggono a poco a poco le Costituzioni per mettersi in pratica » (KUNTZ, l. cit., 289).

3. Obicitur: « Sctus. Alphonsus illis 23 annis, quos post Capitulum vixit, ante suos filios illas Constitutiones, numquam, quoad sciamus, nominavit, aut inculcavit » (*Anal.*, XXIII, 196). Certe quidem non remisit dominibus litteras circulares aut saltem sunt nobis ignotae; meminisse vero iuvat Sctum. Fundatorem, episcopali munere praepeditum, Patri Villani immediatam Congregationis directionem commisisse, donec ipsum Vicarium nimis blandum non invenit (*Lett.*, I, 577). Non multo post (*Ibid.*, 612) persecutiones contra Institutum exarserunt, quae cautelam superioribus suadebant in statutis regularibus applicandis et urgendis: etenim, ut unum exemplum afferamus, constitutio de litteris scribendis (*Codex*,

p. 152 ss.) vix componi poterat cum decreto regio diei 16 septembris a. 1763: « Le di loro [*id est, regularium*] lettere non s'intercettino da' Superiori » (*Diz. delle leggi*, III, 235). Attamen nihil impedit quominus, supposita praedicta cautela, interpretemur in favorem Constitutionum anni 1764 exhortationes non paucas, quibus S. Alphonsus sive ex dioecesi Sanctagathensi sive ex Nuceria Paganorum disciplinam vigentem congregatis universis aut singulis commendavit. Cursim ac breviter attingamus quae-dam Scii. Fundatoris monita. Mense aprilii a. 1767, conscient prohibitionis a Regula impositae, conatur in casu particulari subvenire necessitatibus spiritualibus cuiusdam monialis (*Lett.*, II, 8-12). Eodem anno in rectores locales assumuntur quattuor consultores generales: dum factum per epistola-m circularem confratribus transmittit, Sctus. Fundator sese quasi excusare et purgare contendit (*Lett.*, II, 19), utpote quod in Constitutionibus anni 1764 normas fixas de consultorum generalium domicilio capitulares statuerant (*Codex*, p. 258). Pariter anno 1767 Sctus. Fundator praescriptiones disciplinares communicat Patri Mazzini, congregatis Nucerinae domus intimandas, quae non nisi intra ambitum supra dictarum constitutionum adaequatam explicationem inveniunt (*Lett.*, II, 20-21): id ipsum valet pro destinatione iuniorum Patrum ad confessiones excipendas « secundum Constitutiones » (*Ibid.*, 25), vel pro dispensatione ad conciones quadra-gesimalis habendas (*Ibid.*, 99). Hortationes pariter ad observantiam regolare tuendam, sive generales (*Ibid.*, 163), sive speciales in rebus concretis (*Ibid.*, 244-246, 392-394), redolent quandoque litteram, quandoque spiritum Constitutionum a. 1764, ad quas expresse appellat in sua Relatio-ne cardinali Ghilini exhibenda (*Ibid.*, 603), dum in aliis casibus sub no-mine olim vulgato « antiche costumanze » allegantur (*Ibid.*, 394, 646).

IV. DE CONSTITUTIONIBUS ANNI 1764 IN STATIBUS PONTIFICIIS

I. Sunt qui cernere recusent exaggerationem Patris Landi super Capitulo anni 1764 scribentis: « Si fecero due grossi volumi di carte, ma poco se n'è osservato di quanto si fece in detto Capitolo Generale, anzi ne pure si trovano più carte di quelle Costituzioni fatte; perchè vedendo che erano nulle, e non se ne osservassero affatto, perciò è parso bene a taluni di non farle comparire più al mondo » (*Istoria*, II, f. 260). Absque dubio inter adversarios recensere debuisse Patres De Paola et Leggio: primus namque a. 1780 in sua ad abbatem romanum Zuccari epistola ausus est contendere Scti. Alphonsi episcopi in Rectorem Maiorem confirmationem fuisse invalidam nec huic suppositae nullitati remedium ullo pontificio rescripto allatum fuisse, cum omnibus constet in Capitulo anni 1764, adstante P. De Paola, capitulares concorditer Breve Pontificium accepisse; Pater vero Leggio, anno sequenti, volens refutare memoriale Patris De Leo, qui aucto-

ritatem Capituli a. 1764 adduxerat, respondit citatum Capitulum fuisse prorsus nullum (sicuti ipse P. De Paola affirmaverat. KUNTZ, X, 77: textus epistolae): « Tale Capitolo fu nullo per moltissimi capi e di più ributtato dalli capitolari stessi e da tutta la Congregazione » (*Ibid.*, 330).

2. His praeiudiciis aliquaque ex *Regulamento* ortis impulsi, sategerunt adhaesione personalem Regulae pontificiae Benedicti XIV extollere ideoque typis Romae mandarunt a. 1782 editionem quae inscribitur: « Costituzioni e Regole... approvate dalla s. m. di Benedetto XIV. Seconda edizione, Roma, Casaletti 1782. Con licenza de' superiori ». Ut ex Archivo Vaticano noscimus (*Vesc. e Reg.*, *Liguorini*, 1806, fasc. V), pro hac editione postulaverat P. Leggio atque obtinuerat textum originalem a S. Congregatione approbatum, cum quo novae editionis fecit collationem. Nihil enim proponebat editio romana quam Regulae textum Brevi « Ad Pastoralis dignitatis » adnexus.

3. Interea, qua praediti erant pugnaci voluntate, PP. De Paola et Leggio sive rescriptorum ope sive vivae vocis oraculo facultates diversas a Pio VI aucupari studuerunt, quas deinde in Capitulo a. 1785 Scifelli coacto amplificare aut saltem Regulis incorporare voluerunt (*Acta*, 71, 80). Dum autem Capituli a. 1785 decreta atque acta duos annos apud S. Congregationem Episc. et Reg. ponderanda et revidenda manserunt, PP. De Paola et Leggio novam Regularum et Constitutionum editionem adpararunt, et quidem tali mysterio conceptam et tanta calliditate impressam, ut hodie nequeamus cum certitudine historica distinguere tempus, locum atque potissimum publicationis scopum. Haec vero inscribitur: « Constitutiones et Regulae Congregationis Presbyterorum sub invocatione SS. Redemptoris approbatae a SS.D.N. s.m. Papa Benedicto XIV, Secunda editio, Romae, 1782, per A. Casaletti, cum licentia Superiorum ». Anonyma *Dissertatio historica de voto paupertatis in Congregatione SS. Redemptoris* anno 1856 typis de Propaganda Fide Romae vulgata, severe carpit editores huius versionis latinae: « Dolus et fraus praemeditata in huius libelli re-dactione satis apparent ». Etenim editores ad versionem latinam transfrerunt approbationes, quae ad solam reproductionem textus italici a. 1781 a revisoribus romanis datae erant. Versio autem latina, praeter textum in nonnullis punctis immutatum Regulae Benedicti XIV, continet plurima statuta capituli Scifellensis a. 1785, quibus subreptitie approbatio romana apponebatur hac formula cum abbreviationibus expressa: « Acta Cap. Generalis Autor. Apost. approb. », et: « Decr. Capit. Gen. Auct. Apost. Ben. XIV et Pii VI appr. » (p. 8, 14). « Certum est, ait supra citata *Dissertatio*, Patrem De Paola hanc editionem solummodo in usum Patris Hofbauer et sociorum suorum in terris transalpinis instituisse et iam ex typorum indole videre licet libellum non Romae, sed in Germania prelo mandatum esse ». Fortasse P. De Paola ad editionem procurandam sese ac-

inxit postquam privatum intellexit Pium VI die 23 decembris a. 1785 benignum se praebuisse, dum acta et statuta Capituli Scifellensis Sacrae Ep. et Reg. Congregationi transmisit; decisio tamen finalis S. Congregationis, die 14 septembris a. 1787 a Pio VI approbata, omnem Patri De Paola spem auferre debuit, quoniam eiusdem postulata fere in omnibus S. Congregatio reiciebat. (A. VAT., *Vesc. e Reg.*, 1806, *Liguorini*, fasc. VI). Quod si, ut nonnulli credunt, haec editio latina post capitulum a. 1793 confecta et vulgata fuit, longe gravior fieret fraus atque aegre inveniretur excusatio iis, qui tales agendi rationem probarunt. Interea, quo tutius viam fundationi Varsaviensi sterneret, Sctus. Clemens Hofbauer editionem novam Regularum latinam curavit atque anno 1789 Varsaviae typis Dufour in lucem dedit: « Constitutiones sive Statuta et Regulae Congregationis presbyterorum sub titulo SS. Redemptoris », cuius exemplar servatur in Archivo Vaticano (*Nunziatura di Varsavia*, v. 135: *Religiosi del SSmo. Redentore*). Sctus. Clemens, dum Excmo. Nuntio Varsaviensi exemplar novae editionis obtulit, eamdem declarasse videtur ortam directe ex italico idiomate (*Mon. Hof.*, IV, 137): quo in casu dependentia evanescit, quam inter editionem varsaviensem ac latinam a. 1782 nonnulli discerebant. Nostra opinione solvendus adhuc remanet nodus quaestio historicae, utrum nempe editio varsaviensis praecesserit aut subsequuta fuerit editionem Patris de Paola: in primam opinionem se inclinat maxima sua auctoritate P. Hosp (*Geschichte der Redemptoristenregel*; Wien 1939, p. 123 ss.).

4. Quibus praecognitis, si nonnulli codices constitutionum anni 1764 Scifelli et Frusinone dicuntur inventi, eosdem posteriores credimus morte Scti. Alphonsi aut saltem non nisi post Scti. Fundatoris obitum influxum exercuerunt in communitatum disciplina.

V. DE CONSTITUTIONIBUS ANNI 1764 POST MORTEM SCTI. ALPHONSI USQUE AD EDITIONEM LEODIENSEM AN. 1849-1850

1. Recenti namque tempore adhuc servabantur in nostris archivis plures, nempe viginti duo codices, qui textum Constitutionum anni 1764 exhibent et qui olim in usu fuere apud diversas communitates neapolitanas, immo (ut videtur) Status Pontificii. Super ipsis vero remanent quaedam dubia, ex.gr.: a) quandonam et in quem finem singuli codices transcripti fuerint: dum enim nonnulli censentur pro privata alicuius congregati devotione confecti, alii in communitatis beneficium transierunt; b) quemnam valorem, simpliciter scilicet directivum aut stricte obligatorium tribuerint codicum praescriptionibus congregati; c) supposito obligandi ligamine, extiteritne quaedam periodus, qua conscientia obligationis imminuta sit ideoque eclypsis talium Constitutionum diceretur. Difficile quidem his quaestis responsum. Quo facilius et verius obtineatur, alia facta subiungimus.

2. Neapoli, statim ac mense octobre a. 1790 nefastum *Regulamentum* abolitum fuit, de recudendis Regulis pontificiis agere coeperunt: quod quidem anno sequente, typis Simonianis, peractum est hoc modo: « Costituzioni e Regole della Congregazione de' Sacerdoti sotto il titolo del SSmo. Redentore ». Nec Breve pontificium insertum fuit nec approbationis romanae vestigium retinetur, absque dubio propter adiuncta politica, quae insuper suaserunt ut tribus notulis (pp. 14, 40, 43) regias pragmáticas memorarent editores.

2. Transacto biennio series Capitulorum generalium, ab anno 1764 interrupta, reassumitur cum Capitulo Nucerino anni 1793, quo unitas Instituti post *Regulamentum* redintegratur. Capitulares non semel oculos ad Constitutiones capituli anni 1764 converterunt, speciatim cum de quaestionibus circa paupertatem controversis actum est (*Acta*, p. 101-102): super ipsis namque fortiter disceptatum fuit, speciatim a P. Iosepho Pavone, qui decisiones Capituli anni 1764 propugnavit (cf. SMETANA, *Memorandum circa votum paupertatis...*, p. 8-13). Cum autem capitulares alias Constitutiones condiderint et quidem satis completas (*Acta*, 85-186) et approbationi Sedis Apostolicae submissas (A. VAT., *Vesc. e Reg.*, 1806, *Liguorini*, fasc. XIII), quaesitum est utrum fuerit necne mens vocalium proprias constitutiones iis substituere, quas praedecessores anno 1764 confecerant. Quidquid de eorum mente sit, his constitutionibus efficacia practica detracta fuit ex quo anno 1797, post longas disceptationes, S. Congregatio reiecit plerasque immutationes (A. VAT., l. cit., fasc. XV. - *Acta Cap.*, p. 185-186). Derelictus pariter fuerat codex constitutionum, quas P. Blasucci exaraverat, nempe: « Costituzioni de' Sacerdoti Missionarj del SSmo. Redentore, o sia Comentario della Regola della medesima approvata dal S. Pontefice Benedetto XIV e dal nostro Monarca » (A. PROV. PAGANI, *Cost. e Reg.*, nn. 12, 15). In hoc manuscripto (*Cost.*, V, n. 5) semel citatur Capitulum anni 1764. In eiusdem fine legitur: « Costituzioni fatte dal P. Blasucci in Sicilia per commissione del nostro P. Mazzini; ma perchè troppo minute non si approvarono ».

3. Praecognitis igitur adiunctis Capitulum a. 1793 subsequentibus, admiratio evanescet, quam nuper in *Analectis* (XXIII, 196) ostendit moderator propter silentium Rvmi. Blasucci Scto. Clementi respondentis die 8 ianuarii a. 1797. Depoposcerat Sctus. Clemens Constitutiones « quae cumque in nostra Congregazione exstant, cum nullas hucusque habeam praeter solas Novitiorum ». Quibus respondit Rvmus. P. Blasucci se eas remissurum, quae a Capitulo anni 1793 approbatae, nondum confirmationem S. Sedis obtinuerant (*Mon. Hof.*, VIII, 50, 55). Per transennam notabimus affirmationem Scti. Clementis se dumtaxat possidere Novitiorum Constitutiones non bene collimari cum dictis eorum, qui tenent illum etiam possedit editionem latinam anni 1782, nisi suspicari velimus Sctum. Cle-

mentem, post Capitulum anni 1793, noluisse considerare vigentes constitutiones Scifellenses.

4. Post perturbationes politicas Neapoli sub finem saeculi obortas, Capitula generalia inspirationem ex constitutionibus anni 1764 eo magis traxerunt, quod, clarius in dies illuscente stella Scti. Fundatoris, intensiorem devotionem erga ipsum fovebant congregati. Sic in Capitulo Nucerino anni 1802, cuius statuta eodem anno typis mandata sunt, et quidem cum approbatione regia (*Doc. Misc.*, 202) promulgatum est decretum praecipiens « che si osservino da tutti e per sempre le antiche costumanze introdotte nella nostra Congregazione dal nostro Ven. Fondatore e dal medesimo proposte e dichiarate a tutti i Superiori della Casa nell'adunanza del 1764; come pure i direttori allora fatti per i rispettivi Officiali della Congregazione, Rettori, Ministri, Maestro de' Novizi, Prefetti e Lettori di Studenti ed altri officiali » (*Acta*, p. 200 - *Statuti*, 1802, n. 21, p. 34). Quod si obieceris capitulares sibi ipsos contradixisse, dum in quibusdam paupertatis decisibnibus recesserunt a statutis anni 1764, cursim respondebimus: a) in hac materia decisiones anni 1802 beneplacitum Sedis Apostolicae non obtinuisse; b) mentem capitularium anni 1764 non fuisse in omnibus paupertatis quaestionibus manifestam (*Acta*, 46-47) ideoque ansam posterioribus controversiis praebuisse.

5. Pace tandem Europae post Napoleonis disparitionem restituta, Capitula generalia alere perrexerunt eundem spiritum adhaesionis constitutionibus anni 1764. Hinc in Capitulo generali Nucerino anni 1817 vocales ex eisdem constitutionibus semel atque iterum lumen et consilium mutuati sunt (*Acta*, 213, 217, 219, 221, 222). Similiter in Capitulo anni 1824 (*Acta*, 254, 262, 272), ubi inter alia edixerunt: « Standum est constitutionibus anni 1764 circa paupertatem ». Demum in Capitulo anno 1832 P. Scelzi, Vocalis domus Stilo, memorat: « Antiche Costumanze, o siano le Costituzioni del 1764 » (*Analecta*, XXII, 197). Immo, eiusdem anni citatur Rescriptum S. Cong. Ep. et Reg., quo declaratur subiecta Provinciae Germanicae « non teneri nisi ad observantiam Regularum a Benedicto XIV, approbatarum et ad Decretum (*sic*) Capituli Generalis 1764, non autem ad observantiam Capituli Generalis 1802 » (KUNTZ, XX, 299).

6. Eodem sensu ac Capitula generalia abundant, post mortem Scti. Alphonsi, Superiorum Maiores. Constitutiones namque anni 1764 inter Patres neapolitanos magno honore pollebant, quamvis arduum sit negotium definire in singulis casibus quemnam tali legum codici valorem iuridicum tribuerent. Non enim tunc temporis vigebant in Ecclesia de hac materia indiscussae normae canonicae. Quidquid de hac quaestione libere controvenerat, indubium est animos superiorum ac subditorum eisdem adhaesisse. Nec prorsus in libris Visitationum canonicarum apud diversas domos oblitterata sunt vestigia commonitionum, quas in recessibus Visitatores peren-

nabant hortantes, ut disciplinam religiosam spiritu illarum constitutionum sartam tectamque servarent. Ne longius immoremur, extrahamus breviter ex epistolis circularibus Rectorum Maiorum animadversiones ac pracepta, quae vix explicantur nisi directe aut indirecte ad supra dictas constitutiones referantur: a) *Rvmus. Pater Blasucci* a. 1793 « iuxta antiquam nostram consuetudinem » vetat esum pullorum gallinaceorum (*Doc. Misc.*, 184), dirigere moniales (p. 185), minuere septem horas confessionibus in missione praescriptas (p. 185), adire propriam familiam exceptis casibus in Regula expressis (p. 189); b) *Rvmus. P. Mansione* a. 1818 observantiam « Regularum et Constitutionum » urget, quas distinguere videtur « a Regula et Capitulo a. 1802 » (*Ibid.*, 207, 210, 212); c) *Vicarius Generalis Rvmus. Iosephus de Paola* a. 1824 convocans Capitulum generale Nucerium ac definiens conditiones suffragatorum alludit ad « decretum Constitutionum » (*Ibid.*, p. 220): quod quidem decretum nihil aliud est quam decisio Capituli anni 1764 stabilientis suffragatorum aetatem (*Codex Reg.*, n. 633, p. 266); d) *Rvmus. P. Cocco* a. 1824 urget « observantiam Regularum et Constitutionum, item decretorum... in capitulis ac directoriorum et antiquarum consuetudinum » (*Doc. Misc.*, p. 224), iubet etiam ut « quilibet nostrorum iuvenum apud se habeat exemplar Studentium nostrorum Constitutionis maioris » (p. 237), addit demum a. 1825 « ut in prima missione legantur ad mensam Constitutiones anni 1764 de methodo servanda in missionibus nostris » (p. 255); e) *Rvmus. P. Trapanese* a. 1851 revocat « in plenum vigorem » decretum a. 1764, quod nimiam absentiam Patrum ob labores apostolicos extra domum prohibebat (p. 319). Praeterea, cum a. 1854 Neapoli iterum prelo datae sunt Regula et Constitutiones Benedicti XIV, eisdem adiuncta fuere Statuta Capituli a. 1802 in quibus (uti diximus) praecipiebatur quod « da tutti e per sempre si osservino le antiche costumanze... dell'anno 1764 ».

6. Ab aliis colligendis notitiis supersedemus, quae Rectores Maiores nucerinos spectant Instituto nostro in regno neapolitano praepositos ab anno 1854 usque ad 1869. Mirum quidem videtur Rvmum. P. Berruti operam suam a. 1856 absolventem de nostrarum missionum exercitiis nullam expressam allusionem fecisse ad Constitutiones anni 1764.

VI. DE LEODIENSI CONSTITUTIONUM EDITIONE AC DE CAPITULO GENERALI AN. 1855

i. Ad haec, indubium est Superiores Generales neapolitanos, saltem post beatificationem Scti. Alphonsi, voluisse ut ad Patres Transalpinos textus Constitutionum a. 1764 adferretur. Etenim cum a. 1823 P. Springer Vienna Nuceriam Paganorum missus fuit decem menses ibidem commoratus, potuit cum venia Superiorum pretiosum ibi noscere codicem Constitutionum anni 1764, quem secum Viennam tulit ac cuius desideria erga Pro-

vincias anno sequenti ex Ancona ipse memoravit (*Acta Cap.*, 272). Adiungit P. Smetana Ven. P. Passerat praedictas Constitutiones, exceptis quoad paupertatem duobus punctis, pro domibus transalpinis promulgasse (*Memorandum circa votum paupertatis*, p. 19); incertum vero manet utrum his verbis alludat ad promulgationem authenticam an ad praeparationem editionis Leodiensis, de qua statim dicemus. Ex documentis insuper publicis constat Rvmum. Patrem Ioannem C. Ripoli die 26 septembbris a. 1848 Nuceria in Belgium remisisse alium Constitutionum anni 1764 a se subsignatum Codicem et cum apographo nucerino collatum, quem olim notarius Grossi authenticum declaraverat. Hinc versio et editio Leodiensis educta est. Videtur ergo minus recte *Analectorum* moderator nuper affirmasse: « Nullus Rector Maior, Paganis residens, textum harum Constitutionum subditis transalpinis misit » (*Anal.*, XXII, 196).

2. Tunc demum, facta in latinum idioma translatione, Leodii a. 1849-1850 duobus parvis voluminibus, apud S. G. Lardinois, editae sunt « Constitutiones et Regulæ Congregationis SSmi. Redemptoris ex idiomate italico in latinum versae ». In Praefatione animadvertunt editores: « Transferentes autem Constitutiones nostras ex lingua italica in latinam, nullam aliam vim aut significationem illis tribuere volumus, quam quae ipsis, ex natura sua, inest ». Nullus enim Superior, sive Provincialis sive Generalis, hanc versionem sua auctoritate munivit. Bene tamen scimus Vicarium Transalpinum P. Rudolphum Smetana maximi has Constitutiones aestimasse atque ab eisdem inspirationem postulasse in internis de paupertate controversiis necnon in praeparatione Capituli generalis, quod Romae celebrare conatus est (*Doc. Misc.*, 361 ss., 383, 387, 389, 390, 391, 392).

3. Denique tandem Capitulum generale romanum a. 1855 examini subiecit constitutiones anni 1764 iuxta versionem Leodiensem in eisque methodice quid mutandum, addendum vel retinendum fuerit decrevit, paragraphum post paragraphum in discussionem revocando (*Acta*, p. 495). Summa decisionum iudicio Sedis Apostolicae submissa fuit atque rescriptum approbatorium obtinuit (*Ibid.*, 624) ideoque post opportunam textus revisionem Rvmus. P. Mauron a. 1861 editionem Regulæ ac Constitutionum definitivam promulgavit, quae deinceps viguit substantialiter immutata usque in hodiernos dies.

Concludentes igitur asserere possumus constitutiones anni 1764 cardinem esse circum quem vita et spiritus nostri Instituti per duo fere saecula volvuntur, ac proinde summam traditionum nostrarum pretiosam in illis contineri: unde qui voluerit penitorem operis alphonsiani cognitionem assequi, ad hunc codicem Regularum et Constitutionum accedat necesse est.

Fas sit his notulis finem imponere cum depreciatione editorum Leodiensium:

« Alphonse, De Coelo Pasce Prolem ».

Romae, 24 maii 1953.